



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Titulus XXXX. De Consecratione Ecclesiae, Vel Altaris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

TITULUS XXXX.  
DE CONSECRATIONE ECCLESIAE,  
VEL ALTARIS.



**E**cclēſias cum licentia Ordinarj erectas, & principaliter ad divina ſacrificia in illis celebranda deſtinatas, ut hæc in illis legitimè, & convenienter celebrari poſſint, uti & Altaria, in quibus divina peragi debent, à loci illius Epifcopo conſecranda, aut ſaltem benedicenda eſſe, de jure ordinario, ex pluribus juriſibus diſtin. 1. de conſec. patet, & ex Theologia morali L. 5. tr. 5. c. 5. & ſeqq. ubi plura legi poſſunt, ſcitu sæpè neceſſaria, & ſemper utilia: pauca juxta ſeriem cap. hujus ſit. hinc etiam dicentur.

2. Alij tamen ſunt caſus aliqui, in quibus fixum Altare; & alijs, in quibus Altare viaticum, ſive mobile de novo conſecrandum.
3. Alij ſunt utriusque Altari communes.
4. Efficaciter probari non poſſit, quod à ſubſtantiam Altaris legitime conſecrari requiratur locus, ſive ſacrum ſepulchrum, ubi ſacra Reliquia condita ſint.
5. Debent tamen Altaria, ad divinum ſacrificium deſtinata, eſſe lapidea, ac decens eſſet, ut omnia Altaria non ex lateritio opere, ſed ex uno, ac ſolido lapide conſtarent.
6. Poſeſt tamen Ara fixa in aliqua Eccleſia nova conſecratione indigere, abſque eo, ut Eccleſia nova conſecratione indigeat.

CAPITULUM I.

Ad hæc.

PARAPHRASIS.

Reſcribit Alexander III. Pontifex, conſecrandum denuò Altare eſſe, ſi motum fuerit; aut lapis, qui Sigillum continet, contractus ſit, aut diminutus (enormiter, ut advertit Gloſſa hic v. contractus, ex cap. quod in dubijs 3. infra eodem) Eccleſiæ tamen Conſecrationem in tali caſu non iterari, juxta receptam conſuetudinem, quicquid in contrarium antiqui Decretorum Canones aliqui innuant.

SUMMARIUM.

1. Quamvis Eccleſia vel Altare ſemel legitimè conſecrata, conſecrari iterum non debeant, poſſunt tamen caſus contingere, in quibus nova Conſecratio faciendæ eſt.

**N**otandum primò. Non debere quidem Eccleſiam, aut Altaria, de quorum conſecratione ſemel facta, ex authentica inſtrumentis, vel ſignis alijs, aut legitimè conjecturis conſtat, conſecrari iterum, cap. Eccleſijs 20. diſt. 1. de conſec. poſſe tamen plures caſus contingere, in quibus vel ſub Altaria, vel tota Eccleſiæ, vel ſimiliter Eccleſiæ, & Altaria, ſuam conſecrationem amittunt, ut novà conſecratione indigeant, prout in hoc cap. de conſecrando iterum Altari ſtatuitur, ſi menſa ſive lapis ab inferiore ſtruttura, cui committitur, & ad hæc eſt, removeatur; aut lapis ille enormiter contractus, aut diminutus ſit.

Notandum ſecundò. Inter Altaria illud eſt d. ſc. i. men. quòd aliqua ſunt mobilia, & vocentur Altaria portatilia, ſive viatica ſalia verò ſunt, & dicuntur immobilia, ſive fixa, ſeu ſtabilia. Iſta ab uno loco in

alium moventur, & transferuntur; neque per talem motionem, aut translationem de uno loco in alium, vel etiam lapidis à ligno, intra quod custodiæ causâ inclusus lapis ille est, separationem, suam Consecrationem amittunt, cum lapis ille per se sit consecratus: neque de his intelligi debent SS. Canones, cum execrari Altaria dicunt, & nova Consecratione indigere, si de loco suo amoveantur: fixa verò seu stabilia Altaria, quæ quatenus certæ basi affixa sunt, consecrantur, sicuti formam suam, & Consecrationem, ut fixa & certæ structuræ conjuncta, ut ait *Glossa in cap. si motum 29. dist. 1. de Consec. v. Altare*, accipiunt, sic per motionem ab hac inferiore structura mensæ taliter consecratæ amittit hæc suam formam & Consecrationem, non quidem per solam aliquorum inferiorum lapidum, quibus per accidens altare tale, in commodiorem v. g. usum deprimatur, amotionem, cum in tali casu, qui immediatè sunt lapides mensæ consecratæ, & quibus hæc velut basi suæ affixa adhæret, Altaris fixi, formam & altitudinem retinens, maneat: aut si omnes quidem inferiores lapides amoveantur, immoti tamen maneat, quibus affixa est Ara, & alij in locum inferiorem amotorum substituantur; aut si tota hæc mensa consecrata, cum basi sua, cui fixa hæret, de loco in locum transferatur; cum in utroque hoc casu, sicuti formam eandem fixi Altaris retinet, & conjunctionem cum basi sua, principalibus scilicet lapidibus, immediatè mensam contingentibus, & justam formam constituentibus, ita retinet etiam Consecrationem: sed per amotionem principalium lapidum, cui immediatè lapis, seu mensa affixa hæret, ita ut justæ magnitudinis & altitudinis formam amittat, prout etiam in Theologia Morali dictum *L. 5. 317a. 5. cap. 6. n. 3. ad finem.*

Notandum tertio. Tam fixum, quam portatile Altare suam Consecrationem amittere, ut nova Consecratione indigeat, si lapis ille, cui Reliquiæ inclusæ sunt, enormiter (ut ait *Glossa*) confractus sit, aut diminutus, si ad usus scilicet, ad quos fuit con-

secratus, ineptus sit, & inutilis; ita ut propter fracturam talem, aut diminutionem, in nulla integra Altaris parte calix cum patena, saltem secundum majorem partem, consistere possit, vel ob fracturam aut diminutionem talem, nimis deformis sit Altare tale; qui uterque casus Episcopi judicio relinquatur. Et hinc etiam si cornua Altaris, in quibus unctio facta fuit, sint fracta, aut fractio aliqua sit in lapide quidem sacro, ex qua tamen non impeditur calicem & patenam in lapide integro in medio Altaris consistere posse, saltem secundum majorem sui partem, non amittit suam Consecrationem, cum forma quantitatis ad conservandam Consecrationem consistat in integritate lapidis, qua possit calix & patena, secundum majorem saltem partem, in integro lapide recipi; prout etiam in *Theolog. Morali* dictum *l. c. n. 4.*

Notandum quarto. Ex hoc *cap. 1. & ex 4. cap. placuit 6. dist. 1. de Consecratione* multos Canonistas colligere, quòd de substantia Altaris consecrati, tam fixi quam portatilis sit sigillum illud, five, ut vocant alij, sepulchrum, aut locus, ubi sacræ Reliquiæ conditæ sunt; qui consequenter etiam afferunt, violato aut fracto hoc Altaris sepulchro, seu loculo, & ablatis Reliquiis, execrari Altare, ita ut nova Consecratione indigeat, si divina in ea mysteria peragi debeant: rectius tamen alij cum Soto, Suarez, Egidio Coninck, aliisque tam Theologis quam Canonistis, putant, efficaciter hoc probari non posse, cum in hoc *cap.* non asseratur, execrari Aram, si sepulchrum, aut sigillum frangatur, sed si lapis ille fractus sit (enormiter scilicet, juxta datam explicationem) qui sigillum continet: & in *cap. placuit* solum prohibeatur, nullam memoriam, aut sacellum Martyrum acceptandam esse, nisi aut corpus ibi alicujus Martyris, aut certæ Reliquiæ sint, ad cavendas scilicet multas supersticiosas devotiones, pro Martyribus colentium eos, erectis etiam memorijs, qui Martyres non fuerunt: cum ergo nullo claro sacrorum Ca-

nonum textu sigilli hujus, sive Reliquiarum loculi necessitas quoad substantiam Altaris consecrati probari efficaciter possit, & magna sit difficultas, pro tot Aris viaticis veras semper reliquias habere; quæ cum pro Ecclesijs consecrandis (cum tamen ea sine Reliquijs consecrari non deberent, ut notat *Glossa in cap. placuit v. Reliquia*) tam faciliè non obtineantur, sit etiam in materia odiosa execrationis restrictio facienda, & nulla ultra claros textus extensio, rectissime quidem faciunt Ecclesiæ Prælati, magnam curam adhibendo, ut habeant sacras Reliquias, quas consecrando Altari includant, & circa sigilli hujus integritatem conservandam, cum ex sigillo hoc violato plerumque enormis fractio lapidis, cui sigillum tale inclusum est, colligatur, absolute tamen ad substantiam Aræ consecratæ sigilli hujus integritas probabiliter non requiritur: quamvis consuetudo Ecclesiarum hac in materia observanda sit, prout *Theolog. Moral. l. c. n. 9.* monet,

5 Notandum quintò. Rectius colligi ex hoc cap. quòd Altaria ad officium divinum sive sacrificium peragendum destinata lapidea esse debeant, cum textus hujus cap. expressè dicat, de novo Altare consecrari debere, si lapis ille, qui sigillum continet, contractus sit, aut diminutus, & in cap. *Altaria 31. dist. 1. de consecratione* dicatur, Altaria si non fuerint lapidea, Chrismatis unctione non consecrantur; quamvis enim olim sub prima tempora Ecclesiæ, cum ob frequentes persecutiones in cryptis & speluncis; Incruentum hoc Sacrificium celebrari deberet, ligneorum Altarium usus fuerit, quòd facilius de loco in locum portari possent, postea tamen pace Ecclesiæ sub Constantino Imperatore redditâ, ex lapidibus tanquam firmiore, & quæ magis durabilis materia est, Altaria fieri jubebantur; neque ulli hodie concedendum est, in ligneo tali Altari celebrare, nisi Summo Pontifici, cui ob reverentiam S. Petri antiquissimum illius ligneum Altare servatur; & in eo soli

illi celebrare conceditur. Et quamvis videri habeat, ut ex unico & solido lapide mensuralis Altaris conficiatur, sunt tamen in quibusdam Ecclesijs fixa Altaria, non ex uno lapide duro, sicut decens esset, sed opere lateritio constructa, & ex gypso ac cemento ad cavendas faciles fracturas induta, quæ si Episcopi tolerant, improbari non possunt.

Notandum sextò. Ex hoc solo, quòd Ara etiam fixa in Ecclesia aliqua execratur, & nova consecratione indigeat, non censetur etiam execrata Ecclesia esse, & nova Consecratione indigere, uti habetur in *h. c. 4.* quamvis enim in Ecclesia sanguinis, aut humani seminis effusione polluitur, omnia in ea Ecclesia fixa Altaria polluta censentur; & vice versa, si unum Altare dicto modo polluitur, Ecclesia censetur polluta, ut nova reconciliatione tantilla, quam hæc indigeant: potest tamen fieri, ut per fractionem, aut motionem lapidis consecrati, Altare execretur, & nova consecratione indigeat, absque eo, ut Ecclesia exinde aliquod damnum patiatur, & consequenter suam consecrationem non amittat; cum enim consecratio Ecclesiæ consistat in portibus, & distincta sit à consecratione Altaris, potest illa consequenter violari combustis v. g. parietibus, aut collabentibus, absque eo, ut Altare integrum & illatum suam amittat consecrationem.

## CAPITULUM II.

## Tua Fraternitas.

## PARAPHRASIS.

Quæsit Episcopus Tornacensis ex Innocentio III. Pontifice, qua die Ecclesiæ consecrare sibi liceat; cum enim Clericorum & Episcoporum ordinationes certos dies habeant, dubitavit, an non eodem modo certi constituti essent, pro consecratione Ecclesijs? Responsum tamen illi dedit à Pontifice, licere ipsi in die celsi sacre consecrationem Ecclesijs impendere quovis die,

die tam diebus Dominicis, quàm privatis. Circa quem textum, quia clarus est, nihil ulterius videtur annotandum; neque enim tanta solemnitas requiritur ad rem inanimatam consecrandam, quàm ad consecrandas & ordinandas res animatas, quæ sicuti dignitate eminent, ita majorem solemnitatem requirunt.

## CAPITULUM III.

## Quod in dubijs.

Rescribit Innocentius III. Episcopo Nidrosiensi, si motum aut enormiter fractum in Ecclesia Altare fuerit (juxta ea, quæ in cap. i. dicta sunt) quòd nova consecratione indigeat: non negare tamen se, quin oleum non consecratum sacro oleo misceri possit absque eo scilicet, ut nova benedictione indigeat.

## SUMMARIUM.

1. Per admixtionem olei v. g. non benedicti, in minore tamen quantitate, cum oleo benedicto, totum est benedictum.
2. In quibus casibus locum habeat commune axioma, quòd minus dignum trahat ad se magis dignum, vel sanctum, id quod de se sanctum non est &c.

Notandum primò. Priorem partem hujus rescripti de moto aut enormiter fracto Altari, & nova consecratione indigente, ex cap. i. jam patere.

Notandum secundò. Quòd parti benedictæ olei v. g. alia non benedicta olei pars, in minore tamen quantitate, admixta, per solam hanc admixtionem benedicatur, docent communiter omnes, ob receptam *Glossam* in cap. i. h. v. *Altare*, quòd sacrum scilicet trahat ad se non sacrum (tanquam dignius, minus dignum) nisi in quantitate id, quod minus dignum sive non benedi-

ctum admisceatur, excedat dignius sive benedictum; ita tamen, ut juxta *Panormitanum* h. v. & juxta *Hosiensensem* in *Glossa marginali* h. v. hoc effectum tantum locum habeat in liquoribus, qui commixtione confuaduntur, & juxta alios in illis etiam artefactis, quorum partes seorsim acceptæ, totius appellationem non continent; non autem in illis artefactis, quorum partes eandem cum toto, cujus partes sunt, seorsim etiam acceptæ appellationem retinent. Sic si casu aræ v. g. aut Ecclesiæ minor pars aliqua non consecrata, consecratæ accedat, nulla nova illius consecratio est necessaria; dubium autem est, utrum non indigeat Ara nova consecratione, si lapis non consecratus, lapidi consecrato adjungatur, cum in hoc casu axioma illud juxta multos auctores & propter multas instantias probabiliter locum non habeat. Et hinc rectè moment auctores, additionem lapidis non consecrati, si faciendæ hæc sit ad lapidem consecratum, ita fieri debere, ut integer maneat lapis consecratus, in quo calix cum patena consistere possit; sicuti enim per solam adjunctionem lapidis non sacri, non amittit suam consecrationem lapis consecratus, cui alter lapis non consecratus adjungitur, si in illo illæso calix cum patena subsistere adhuc possit (saltem secundum majorem partem) ita nec per solam hanc adjunctionem fit sacer, cum in talibus sacrum & non sacrum conjungi & discerni possint.

## CAPITULUM IV.

## Proposuisti.

## PARAPHRASIS.

Peregrini ex diversis mundi partibus Compostellam, ad Ecclesiam S. Jacobi confluentes, graves adeò rixas & contentiones nonnunquam inter se incipiunt, dum quilibet custodiam Altaris sibi arrogare contendit, ut homicidia etiam intra Ecclesiam committantur, & vulnera inferantur: sollicitus proinde Compostellanus Archiepiscopus ex Innocentio III.

Tit 2

in-

interrogat, an non per talia homicidia & vulnera Ecclesia ita execretur, ut nova reconsecratione indigeat. Respondit autem Pontifex, reconciliari quidem debere taliter violatam Ecclesiam, si integra illa adhuc maneat, per aquam cum vino & cinere benedictam; novam tamen consecrationem opus non esse.

## SUMMARIUM.

1. Violatur Ecclesia per homicidium in ea commissum, aut inflicta vulnera, ut reconciliari debeat, priusquam divina in ea peragantur; non tamen execratur, ut nova consecratione indigeat.
2. Quale debeat esse homicidium, & qualis vulneratio, ut violetur Ecclesia.
3. Violata Ecclesia, violantur etiam fixa altaria, ita tamen, ut reconciliata Ecclesia etiam illa accessorie reconciliata habeantur.
4. Ut violetur Ecclesia per homicidia, & vulnerationes, debent haec fuisse commissa intra spatium, quod pertinet ad interius corpus Ecclesiae.
5. Violata tamen Ecclesia, censetur etiam violatum cimiterium tali Ecclesiae contiguum, ut in hoc sepeliri nemo possit, ante reconciliationem, saltem accessorie factam.

**N**otandum primò. Per homicidium in Ecclesia commissum, aut inflicta in ea vulnera violari quidem & pollui eam, ac in ea fixa Altaria, ut ad divina peragenda adhiberi non possint, antequam reconcilientur, juxta hoc & ultimum hujus tit. cap. (ubi dicitur, reconciliari debere violatam seu pollutam Ecclesiam, ne divinæ laudis organa suspendantur) non tamen si integra Ecclesia adhuc maneat, ex commissio in ea homicidio, aut ob vulnera inflicta execrari illam, ut nova consecratio illius necessaria sit. Sicuti autem Ecclesia non violatur, per quodvis in ea ex subito casu, aut iusta defensionis causa &c, commissum homici-

dium, sed per illud tantum, quod voluntarium, & injuriosum est, vel saltem contra Religionem, aut reverentiam loco facti debitam, etiam si nullus sanguis effundatur (per suffocationem v. g. hominis ad mortem, iustam quidem sententiâ condamnati, cujus tamen executio in Ecclesia loco sacro injuriosa est) sic nec violatur per quamlibet corporalem injuriam, per alapam v. g. inflictam, cum multo, ex naribus tamen effluente sanguine adhuc effundendum bacilibus, sed per voluntariam, & injuriosam, ac graviter peccaminosam, cum sanguinis effusione, etiam si vulneratio talis non sit ad mortem; cum ex hoc cap. cum pluribus juribus facile colligi possit, dictum hunc casum esse, in quo Ecclesia polluatur, & reconciliatio indigeat, ab eo, quo ob homicidium polluitur illa, & reconciliatione indiget.

Notandum secundò. Violata seu polluta Ecclesia, violari etiam seu pollui debet in ea Altaria, ita ut in eis celebrari non possit, absque prævia reconciliatione; non autem execrari Altaria, si Ecclesia execretur, ita ut tam illa, quam hæc novam reconsecrationem indigeant: cum enim suas peculiaris distinctas consecrationes habeant, potest consequenter una retineri, & manere, altera pereunte; violata verò Ecclesia cum divina officia in ea celebrari non possint, sed suspensa maneant, ut loquuntur iura in cap. ult. h. t. donec reconcilietur, contempnentur neque in illius Ecclesiarum Altaribus fixa, & vina celebrari poterunt, donec reconciliantur. Sicuti autem accessorie tantum violata sunt Altaria, violata principaliter Ecclesia, sic etiam alia reconciliatione specialiter non indigent, si reconcilietur Ecclesia, sed accessorie censentur reconciliata, cum impedimentum omne, quominus in ea celebrari possit, per hoc sufficienter ablatum sit, quòd Ecclesia illa iterum sit reconciliata.

Notandum tertio. Violari Ecclesiam per homicidia aut vulnerationes taliter commissas in Ecclesia, si scilicet committantur intra spatium illud, quod pertinet

## CAPITULUM V.

## Cum sis.

## PARAPHRASIS.

Dubitabat Episcoporum nonnemo, utrum plura in eadem Ecclesia altaria v.g. & plures Episcopos simul eodem die consecrare posset? Cui dubio respondet de eo quaesitus Pontifex affirmativè, quòd scilicet in eadem Ecclesia plura simul altaria & plures Episcopi (& quidem hi sub eadem missa) consecrari possit. Textus & resolutio est clara, nulla ulteriore indigens notitià, aut explicatione.

## CAPITULUM VI.

## Ligneis.

## PARAPHRASIS.

Quaerebatur ex Pontifice, an nova consecratio Ecclesie, vel altarium necessaria esset, in eo casu, quo parietibus Ecclesie illatis, & in sua integritate permanentibus, tectum v.g. Ecclesie, aut scamna &c. igne combusta fuerint; altaria verò, quamvis modicam in extremitatibus passa essent fracturam, nec mota tamen, nec enormiter fracta juxta dicta in 1. cap. b. t. Cui quaesito respondet Pontifex, in neutro hoc casu, novam aut Ecclesie, aut altarium reconsecrationem necessariam asserens.

## SUMMARIUM.

1. Si parietes alicujus Ecclesie integri subsistant, & illasi (saltem secundum majorem sui partem) etiamsi tectum, scamna, & alia intra illam Ecclesiam ornamenta exusta fuerint, non indiget novà altà consecratione, nisi crassa omnis parietum interior abrasa sit, vel ex incendio ceciderit, in casu Ecclesie prius consecratae.
2. Quid sentiendum, si antiqui parietes

Ttt 3 to-

net ad interius corpus Ecclesie, ab interiore tecto scilicet, usque ad pavimentum illius Ecclesie, & à summa ara usque ad parietem oppositum, ita ut etiam sacella intra talem Ecclesiam instituta, si proprio muro à reliquo Ecclesie corpore non sint juncta, & ad usum divinum deputata, Ecclesie taliter violatae, reconciliatione indigentis, nomine veniant, cum verba *cap. ult. hoc tit.* quibus divina officia in tali Ecclesia suspensa asseruntur, hanc explicationem exigant: non tamen violari talem Ecclesiam per talia (supra tabulatum ejus in tecto; aut infra in cryptis v.g. aut speluncis inferioribus, vel in cameris, ad latus Ecclesie adherentibus, pro rerum Ecclesie custodia deputatis; aut pro ministrorum Ecclesie habitationibus, muro distincto separatis &c. ne in hac violationis materia nimium extendantur verba sacrorum Canonum; & ab eo, quod de cameris contiguis asserit, uti & in *cap. unico in sexto hoc tit.* ad alia transferantur.

¶ Notandum quartò. Violatà taliter Ecclesiam, ut in ea celebrari non possit ante reconciliationem, violatum etiam censerì cæmeterium Ecclesie contiguum, ut in hoc sepeliri nemo possit ante reconciliationem, prout expressè statuitur in *cap. unico hoc tit. in sexto.* ita tamen, ut si reconcilietur Ecclesia, specialis etiam cæmeterij reconciliatio necessaria non sit, sed accessorie censeatur cæmeterium reconciliatum, si Ecclesia reconcilietur; cum enim in tali casu, quo cæmeterium contiguum est Ecclesie, accessorium hoc sit Ecclesie, consequenter juxta regulam 46. in sexto sicuti censeatur pollutum, Ecclesia polluta, tanquam accessorium induens naturam & conditiones principalis, ita etiam reconciliatum censeatur, principali reconciliato; de hoc tamen paulò post.

¶ Notandum quintò. Reconciliationem Ecclesie taliter violatae fieri debere per aquam cum vino & cinere benedictam: de hoc tamen reconciliandi modo plura dicentur infra in *cap. aqua. 9. hoc tit.*

101, vel simul, vel successivè destruantur, & novi semper succedant?

**N**Otandum. De veritate responsi hujus Pontificij, quoad secundam partem, de nihil necessaria reconsecratione altarium, in casa quo nec mota (dicto modo) illa essent, nec enormiter fracta, etiamsi fracturam aliquam in extremitatibus passa essent, ex 1. *hujus tit. capit.* patet. Quòd autem neque Ecclesia, si semel jam legitime consecrata fuit, nullà novà reconciliatione indigeat, si parietes illius Ecclesie persistant integri, etiamsi exultum fuerit Ecclesie illius tectum, scamna, sedilia, picturæ, aliæque illius ornamenta, intra talem Ecclesiam &c. ipsa etiam parietum dealbatio fumo & igne pessimè decolorata, aut obscurata, aut parietes ipsi pluribus fracturis dissoluti sint, modò subsistant adhuc integri, & illæsi, ita ut nec toti secundum majorem partem ceciderint, ex *hoc cap.* patet, & ex ea ratione, quòd consecratio Ecclesie non in his, sed in interiore superficie patietum, in quibus unctio fit, & per cruces signatio, consistat. Quòd si tamen parietes Ecclesie non ceciderint quidem, & corruerint, crusta tamen interior omnis abrasa sit, vel ex incendio ceciderit, perditur illius Ecclesie consecratio, si consecrata fuit, cum pereat materia, in qua facta est consecratio; benedictio tamen non perit, si benedicta fuit talis Ecclesia, & ad cultum divinum destinata, etiamsi crusta omnis abrasa fuerit, & ipsi etiam parietes corruerint, cum benedictio solo inhaerere censetur, juxta communio-rem Doctorum sententiam, legi illi 73. conformem *ff. de contrah. Empt.* quæ dicit, ædem sacram terræ motu dirutam, non esse locum profanum.

**Q**uæres tamen adhuc, si successivè pars una post alteram parietis Ecclesie consecratae tollatur, & nova semper substituitur, utrum Ecclesia nova reconsecratione indigeat, si tandem omnis Ecclesie consecratae paries ablatus sit, & novæ semper partes successivè substituta fuerint, quæ in prima consecratione non steterunt.

Respondetur primò. Certum esse, si omnis simul paries Ecclesie consecratae tollatur, & novi parietes substituantur, sive casu fortuito corruant illi, sive consilio destruantur, quòd Ecclesia talis de novo sit consecranda, cum hæc modò existeret Ecclesia nunquam consecrata fuerit.

Respondetur secundò. Si non quidem simul omnis Ecclesie consecratae paries tollatur, major tamen illius pars simul tollatur, aut corruat, quòd nova consecratione indigeat Ecclesia talis, cum in tali casu nec physicè, nec moraliter eadem sit Ecclesia, quæ antehac fuit, etiamsi ex ipsorum lapidibus sit ædificata.

Respondetur tertio. Qualicumque tandem pars Ecclesie tollatur, si tollatur auctoritate legitima absque intentione emendandi, si tamen postmodum reedificaretur, quòd nova consecratio hujus noviter constructæ Ecclesie fieri debeat, prout valde probabiliter docet Panormitanus, cum multum in hoc casu moraliter valeat intentio operantis, auctoritatem legitimam habentis profanandam Ecclesiam, cujus intentio est, novam Ecclesiam ædificare.

Respondetur quartò. Valde tamen etiam probabile esse, si successivè tantum minor pars Ecclesie consecratae pars destruitur, & nova semper substituitur, quamvis successu temporis omnis antiquus paries ablutus fuerit, & novus substitutus, non tamen ex intentione novam Ecclesiam constituendi, quòd Ecclesia talis nova reconsecratione non indigeat, cum non minus eadem moraliter loquendo maneat Ecclesia, quam eadem moraliter navis maneat, licet subinde pro destructis tabulatis, nova fiat tabularum novarum accessio *L. quod in veteri S. ult. ff. de leg. 1.* & in hac etiam parvis minoris ad majorem partem adjunctione, major pars trahat ad se minorem, ita ut consecratio majoris, ad hanc etiam minorem, iuxta probabilem sententiam, & *Glossam in cap. si motum de consecra. dist. 1.* extendatur, & nunquam omnis consecratio cesset



amissa. Videatur Theol. Mor. l. c. c. s. n. 16.

CAPITULUM VII.

Consuluiti.

PARAPHRASIS.

Sepulta fuerunt in Cæmeterio quodam excommunicatorum defunctorum cadavera, quærebatur proinde ex Pontifice, utrum per hanc excommunicatorum in cæmeterio sepulturam, violatum illud fuerit, ut reconciliatione indigeret: & respondet Pontifex affirmativè, violatum scilicet illud, per talem sepulturam esse, & asperione aquæ solemniter benedictæ, reconciliandum prius, quàm iterum fidelium corpora in eo sepeliantur.

SUMMARIUM.

1. Quid nomine Cæmeterij veniat?
2. Violatur, violatà Ecclesia, si Ecclesia contiguum sit; si vero non sit contiguum, eodem modo principaliter violatur, quo Ecclesia violatur, & sua reconciliatione indiget.
3. Per sepulturam excommunicati vitanda in cæmeterio violatur hoc.
4. Probabile est, & praxi hodierna conforme, non violari in ullo casu cæmeterium, si nec consecratum est, nec benedictum ab Episcopo.

Notandum primò. Cæmeterium illum locum dici, qui autoritate Episcopi, si non consecratus aut benedictus sit, destinatus saltem est & deputatus, ad sepelienda in eo defunctorum fidelium cadavera: sicuti autem tale cæmeterium, si Ecclesie contiguum est, consecratur per Ecclesie consecrationem, ita etiam violatur, & execratur Ecclesia violatà, aut execratà, juxta cap. un. in 6. hoc tit. Vel si contiguum Ecclesie non sit, suam propriam consecrationem, benedictionem, aut Episcopalem saltem deputationem habens, execratur, aut violatur eodem modo, & in illis casibus, quibus vio-

latur, aut execratur Ecclesia; sicuti enim in illo casu censetur quid esse accessorium ad Ecclesiam contiguam principalem, & consequenter sequitur naturam principalis juxta regulam 46. in sexto. ita in hoc casu, cum Ecclesie non sit accessorium, censetur se habere ut principale, & iisdem modis violari, quibus violatur Ecclesia, uti patet etiam ex cit. cap. un. hoc tit. in sexto, & ex cap. Ecclesiam. 27. ac 28. dist. 1. de consecr.

Notandum secundò. Quando dicitur hic a per sepulturam excommunicati in cæmeterio, violari cæmeterium, intelligi debere hoc de sepultura excommunicati vitandi, post Concilium Constant. excommunicati scilicet publicè denuntiati, aut notorij percussoris Clerici; sicuti cum pluribus alijs bene etiam notavit Navarrus dicens, per sepulturam Hæretici nominatim non denuntiati (qualiter non denuntiati, nec vitandi sunt Hæretici nostræ Germaniæ) non violari Ecclesiam, arg. cap. sacris 12. de sepult.

Notandum tertio. Reconciliationem talis cæmeterij violati fieri debere, tam in hoc, quàm in alijs casibus violationis, eodem modo, quo Ecclesia notatur reconcilianda, de quo paulò post: probabile tamen etiam est, & hodierna praxis obtinet, quòd cæmeterium, si nec consecratum, nec benedictum sit, sed sola autoritate Episcopi ad sepulturam fidelium deputatum, & determinatum, nunquam violetur, ut reconciliatione indigeat. Videatur Theol. Mor. l. c. c. s. n. 2.

CAPITVLVM VIII.

Cum sicut.

PARAPHRASIS:

Intellexit Honorius III. Pontifex ex Capitulo Oradiensi, quòd Regina Hungariæ, Ecclesiam suam quidem fundaverit, & consecrari fecerit, nullam tamen ei dotem assignaverit: rescribit proinde, Ecclesiam consecrandam non fuisse, nisi de

dote

dote ei fuerit provifum ; & hinc tantò magis ad folverendam hanc liberaliorem effe debere Regiam , quantò fortius ex debito jam ad eam dotem obligetur.

## SUMMARIUM.

1. Ecclefia fundanda , aut adificanda non eft , vel faltem non eft confecranda , nifi priùs de dote competente ipfi provideatur , aut velit ad eam obligari confecrans Epifcopus ; vel fit Ecclefia Mendicantium ; vel faltem in monafterio adificata.
2. Quando cenfeatur fufficiens dos Ecclefie assignata ?

Notandum primò. Ecclefiam fundandam aut adificandam non effe , nifi de dote competente illius priùs provideatur ; & fi hujus nulla in fundatione Ecclefie mentio habita fuit , confecrandam non effe , nifi dos ei competens assignetur , ad quam ex contractu obligetur , qui eam fundavit , aut hæredes illius ; ita ut ad eam teneatur Epifcopus , qui fine dote assignata eam confecravir , ex patrimonio fuo , vel etiam ex redditibus fuæ Ecclefie , fi fine gravi illius læfione hoc fieri poffit ; ficuti enim filia à patre indotata non collocatur , fic nec à fundatore , aut in defectum hujus confecrante , Ecclefia , quafi filia , fine dote relinquitur non debet ; ita ut contra fundatorem in tali cafu fundatæ & non dotatæ ab eo Ecclefie , competat conditio ex hoc Canone , coram iudice Ecclefiaftico tractanda ; nifi Ecclefia aut Mendicantium fit , aut in Monafterio Religioforum adificata , quæ fpeciali dote non indiget.

2. Notandum fecundò. Competentem dotem assignandam fundatæ Ecclefie tum fore , fi fufficiens ei pro luminibus , & alijs ad cultum divinum neceffarijs , pro competente ac honefta fufentatione beneficiati , ac miniſtri , fi fit Ecclefia parochialis ; vel fi fit Ecclefia collegiata , pro numero & qualitate collegij inflituendi &c. redditus assignentur ; & quamvis hospitalitatis jura , & ju-

ra Epifcopalia majores redditus requirentes in fundanda tamen & dotanda Ecclefia ad hæc non attenditur , cum ab his excufentur beneficiati , nifi pinguior fortuna arrideat , uti docent *Hofienfis* , *Panormis* , cum *Aran* , & alij.

## CAPITVLVM IX.

## Aqua.

## PARAPHRASIS.

Quòd in Provincia Bracharenfi ea confuetudo vigeret , ut aqua quidem per Epifcopum benedicta , per fimplices tamen Sacerdotes Ecclefie violatæ reconciliaretur , refcivit Pontifex Gregorius IX. Hanc proinde confuetudinem , quam paratè potiùs corruptelam dicendam ( cum Epifcopi non fit , ea quæ funt Ordinis Epifcopalis , fimplici Sacerdoti committere ) improbans Pontifex , refcribit Epifcopo Aftoricensi , poffe quidem eum alij Epifcopo reconciliationem talem committere , per aquam ab Epifcopo benedictam , non tamen fimplici Sacerdoti : toleratorum tamen fe mifericorditer , quod ex mandato Epifcopi per fimplices Sacerdotes circa reconciliandas Ecclefias factum hæctenus fuerat.

## SUMMARIUM.

1. Aqua , per cujus afperfonem reconciliatur violata Ecclefia , à quo benedici debeat ? & à quo reconciliatio fieri debeat Ecclefia confecrata ?
2. A quo , & quâ aquâ reconciliatio hæc fieri debeat , fi Ecclefia tantum fit benedicta , aut ad divinum cultum ab Epifcopo deputata , nondum tamen confecrata ?
3. Poffe nonnunquam reddi per Pontificem actum , qui ab initio & de fe invalidas fuit , validum , ab eo faltem tempore , quo Summus Pontifex confenfit.

**N**orandum primò. Aquam, qua Ecclesia violata, si consecrata fuit, reconcilietur, cum vino & cinere, ut vult *cap. 4. hoc tit.* ac sale, ut vult Rituale Romanum, benedictum esse debere ab Episcopo loci reconciliandi, vel ex eius commissione ab alio Episcopo, prout ex *hoc cap.* colligunt Authores; ubi etiam habetur, quòd reconciliatio talis Ecclesie fieri non possit per simplicem Sacerdotem, quamvis aqua ab Episcopo benedicta esset, sed fieri debeat à proprio Episcopo, vel ex huius commissione ab alio Episcopo; cum ea, quæ sunt Ordinis Episcopalis, ut ait Pontifex, qualis est reconciliatio Ecclesiarum, simplici Sacerdoti committi non possint ab Episcopo. Et quamvis summus Pontifex ex plenitudine suæ potestatis, quam habet circa res tales Ecclesiasticas, concedere possit facultatem simplici Sacerdoti, reconciliandi violatas tales Ecclesias, per aquam ab Episcopo benedictam, quam Gregorianam dicunt; & de facto Ordinum variorum Prælati hanc licentiam, siue hoc privilegium habeant, per aquam etiam à se benedictam, si duabus diæcis distet Episcopus, usus tamen huius privilegij iuxta verborum tenorem moderandus est.

**N**orandum secundò. Si Ecclesia tantum benedicta sit, vel autoritate Episcopi, ad divinum cultum, aut consecrationem deputata, ea tamen ante Consecrationem violetur, potest etiam simplex Sacerdos, aqua lustrali à se benedicta eam reconciliare, prout ex *cap. ult. hoc tit.* colligitur, ubi dicit Pontifex, Ecclesiam talem violatam protinus lavandam esse aquâ exorcizatâ, ne divinæ laudis organa suspendantur; expressus sine dubio, quòd per Episcopum hæc reconciliatio faciendâ sit, aut per aquam ab ipso benedictam, si necessarium hoc putasset in ceteri hæc Ecclesie nondum consecratæ reconciliatio: conveniens tamen est, ut Episcopo hæc violatio significetur prius, quam reconciliatio fiat à simplici Sacerdote. Videatur *Theol. Moral. L. 6. ca. 5. n. 12.*

Norandum tertio. Dicere Pontificem, quamvis praxis Bracharensis Ecclesie circa reconciliações per simplices Sacerdotes ex commissione Episcopi factas, corruptelapotiùs dicenda sit, quam consuetudo (& consequenter hæc tales reconciliações nullæ sint, tanquam à non habente potestatem factæ) toleraturum tamen se misericorditer, quod per simplices Sacerdotes ex commissione Episcopi (quæ nulla tamen fuit) circa has reconciliações factum fuerit; non quidem, quòd factis talibus voluerit aliquam auctoritatem impendere, ut quod ab initio invalidum fuit, valeat, sed quòd ab eo tempore, quo indulgentiam talem concessit, valere inceperint hæc reconciliações, ita ut nova per Episcopum faciendâ non esset reconciliatio, prout etiam *Glossa* notat *hic V. toleramus.*

## CAPITULUM X.

## Si Ecclesia.

## PARAPHRASIS.

Cùm Capit. hoc loquatur de modo Ecclesiam violatam reconciliandi, de quo superiore Cap. locuti sumus, nulla videtur necessaria ulterior illius expositio: innuit quidem, etiam violari Ecclesiam humani seminis effusione (si notoria sit scilicet & illicita) videri tamen possunt de hac violatione Theologi Morales.

## CAPITULUM VNICVM

## in Sexto.

## Si Ecclesiam.

## PARAPHRASIS.

Quòd violatâ Ecclesiâ violetur etiam cæmeterium illi contiguum (tanquam accessorium cum suo principali) ut fidelium nemo in eo sepeliri possit, antequam reconcilietur, in *hoc cap.* asserit Bonifacius Pontifex (de quo in *cap. 7. in antiquis* *Uuu* *b66*)

*hoc tit. jam dictum*, ubi etiam eodem modo diximus reconciliatum censeret cæmeterium, taliter cum Ecclesia violatum, per Ecclesie reconciliacionem non autem vice versa violatur Ecclesia, si cæmeterium illi contiguum per se violatum fuit, ne minus dignum censeatur ad se trahere magis dignum, & accessorium principale. Quod si tamen duo sint sibi quidem coherencia cæmeteria, per murum tamen intermedium separata, etiamsi transitus ab uno ad aliud per portam aliquam pateat, non censetur alterum violatum per alterius violationem.

## SUMMARIUM.

1. Quando censeatur cæmeterium Ecclesie contiguum.
2. Per hoc, quod unum cæmeterium alteri violato, sit contiguum, non censetur hoc conjunctum violatum, etiamsi per unum ad alterum transitus pateat.

Notandum primum. Cæmeterium violari eodem modo, quo Ecclesia; &

modum reconciliandi cæmeterium violatum, si non per solam reconciliacionem Ecclesie reconcilietur, eundem esse, quam supra de reconcilianda Ecclesia dedimus: contiguum autem Ecclesie dici illud cæmeterium, quod Ecclesie conjunctum est. Quod si tamen cæmeterium Ecclesie conjunctum non sit, sicuti se habet ut principale & non ut accessorium tantum, sic non violatur violata Ecclesia, prout jam dictum, sed per se tam violatur, quam reconciliatur.

Notandum secundum. Non violari cæmeterium, quod alteri violato conjunctum est, cum in tali casu neutrum respectu alterius se habeat ut accessorium, aut minus dignum, sed utrumque æque principale sit, etiamsi per unum ad alterum transitus pateat, & consequenter paries intermedium dividat, ut censeantur res diverse, prout advertit etiam Glossa hic *V. contiguum*, aliter, per hoc, quod ex uno in alterum, per portam pateat transitus, non fieri ea contigua.

\*\*

## TITULUS XXXXI.

### DE CELEBRATIONE MISSARUM ET SACRAMENTO EVCHARISTIÆ AC DIVINIS OFFICIIS.



Itulorum aliquorum sequentium materia à Theologis Moralibus accuratè traditur, & eorum Titulorum Capitula utiliter quidem legi possunt, ac utilius observari debent; quia tamen nulla in illis difficultas specialis occurrit, quam non sufficienter explicatam in Theologia Morali suis locis legere potes, hinc brevi tantum com-

pendio expediendi hi tituli potius videbitur quam longiore, & nihil necessaria Capitulorum explicatione.

In primo ergo Capitulo, quod est de sumptum ex consilio Agathensi, & retinetur etiam in *cap. Presbyter 32. dist. 91.* statuatur, ut horas Canonicas dicat Presbyter liberis competentibus: & quamvis ex causa simul omnes usque ad Vesperas nonè persolvere possit, & illis expediat, reg-